

G
C
10465 n
REGIA
CONSERVATORIA





REGVLAE CONSVLTORVM.



NTELLIGANT *quanti momenti sit* P. 4. c. 10.
eorum officium, ut Superiores eorum §. 7. & p.
consilio, & relatione adiuti melius, 9. c. 6. §. 14
& facilis gubernare possint.

2 *Sint amatores boni communis, illudq; in omnibus consultationibus præ oculis habeant: atq; ut Di-* Par. 9. c. 5.
uinæ inspirationi dent locum, & saniora sint eorum
consilia, in suo sensu non nimis abundant. §. 2.

3 *In consultationibus sinceram intentionem habent, & a perturbatione liberam, ut fideliter, &*
debita cum modestia caritatis, & obedientiæ memo-
res sententiam dicant.

4 *Rem, de qua consultatur, bene intelligent, nec*
sint in dicendo præcipites, sed negotio secum considerato, & oratione præmissa, præcipue cum de rebus agitur difficultibus, sententiam suam aperiant.
quod si quid ex tempore discutiendum proponeretur, & id sibi maturius considerandum iudicarent,
Superiori significabunt.

5 *Explicare breviter debent sententiaæ suæ ratio-*
nes: quod si ad rem confirmandam aliorum rationes

A 2 eſſent

essent dissoluenda, id etiam modeste faciant.

6 *Cum Superior Consultoribus auditis aliquid statuerit, iudicium ipsi suum illius iudicio submittendum meminerint: quod si ob rei, de qua agitur, gravitatem, adhuc sentirent ad alium Superiorum esse rem deferendam, quod nihil monitione sua se effecturos sperarent, re prius apud se maturius considerata, & oratione praemissa ad unmediatum illius Superiorum, aut si is non prouideat, ad supremum id facere ne pretermittant.*

7 *Etiam si non interrogentur, si quid tamen in mentem uenerit, quod ad commune bonum, vel aliquius personae particularis pertineat, poterunt id Superiori proponere, ut is statuat, num ea de re sit deliberaandum, nec ne.*

8 *Consultores neque ea, quæ quisque in consultaione senserit, neq; ea, quæ proposita sunt, aut definita alijs significare debent præcipue cum res ipsa secreta exigunt. Superioris autem erit ea, quæ definiuntur, promulgare, cum opus esse iudicabit.*

Par. 4. c.
17. §. 7.

9 *Consultores Rectorum, & Præpositorum locallium literas ad Provincialem dabunt bis in anno mense Ianuario, & Iulio, & ad Generalem singulis annis mense Ianuario: Consultores vero Provinciarium ad Generalem mense Ianuario, & Iulio; nisi res aliqua urgeat, ut etiam extra hæc tempora de illa scribendum iudicent.*

10 *Iis litteris sincere, ac sine amplificatione, omnique*

C O N S U L T O R V M . 5

niq; priuato, aut humano respectu semoto significabunt, quid sibi de Superioribus, quorū sunt Consultores, & de eorum administratione, ac rerum statu scribendum in Domino uideatur, oratione tamen praemissa, & re prius diligenter considerata.

11 Huiusmodi litteræ Consultorum mittantur obseruatæ, nec quisquam eorum sciat quid alius scripsérit. P. 4.c. 17. lit L.

12 Si quis ex nostris ad Generalem scripsérit, & litteras admonitori, aut alicui ex consultoribus tradere voluerit, is acceptas cum suis, aut sub externa sua propria manus inscriptione ad Generalem mittendas curabit.

13 Si quid circa victum, uestitum, labores, & occupationes Superioris, aut circa gubernationem moderandum, augendum, uel mutandum censerent, illum præmissa oratione admonendum curent, quod congreſſere per admonitorem faciant. P. 9.c. 4 §. 2. & 3. & 4. & Can. 120. tri.

14 Siquis cum eis de difficultate aliqua sua, aut perturbatione agat, ita eum suis monitis, & consilio iuuare studeant, ut semper, quantum possint, existimationem Superioris tueantur.

15 Ad omnia melius obeunda Superiorū s. orum, & aliorū officiālū regulas teneant, constitutionesq;, & reliqua omnia, quae ad nostrum institutum, & administrationem pertinent, familiaria sibi reddant.

16 Ita suum munus exequantur, ut nullā gubernationis partem sibi assumant, atq; ea submissione se gerant, ut ceteris obedientiæ exemplum prabeant.



REGVLAE ADMONITORIS.

Par. 9. c. 4.
§. 4.



*A modestia, & humilitate officium suum
obeat, ut subditum decet erga Superior-
em, quem Christi loco habet: niti
enim debet, ne huius muneric occasione, reueren-
tia, atque obedientia interior, uel exterior in ipso
debilior reddatur.*

*2. Animaduertat autem, ne reuerentia hæc, &
obedientia fidelitatem, aut necessariam libertatem
opprimat, quo minus Superior em admoneat de ijs,
quæ, premissa oratione proponenda in Domino in-
dicabit.*

P. 9. c. 4. §. 3. Admoneat Superior em de ijs, quæ maior pars
4. & c. 5. §. Consultorum ei dicenda iudicauerit: de alijs uero,
2. & Can. quæ siue ipsi in mentem uenient, siue ab alijs sug-
120. tri. gerentur, non facile eum admonebit, sed de ijs dum-
congr. taxat, quæ non leuis momenti post orationem esse
censuerit, siue illa ad personam, siue ad officium
Superioris pertinebunt iuxta caput 4. & 5. non
partis Constitutionum, & Can. 120. trium Con-
gregationum.

4. Ea, quorum Superior em admonuerit, memi-
nerit,

ADMONITORIS.

7

nerit, tacitus apud se seruare; quamuis interrogatus à consultoribus de ijs, que ipsi commisissent dicens uel à Superioribus rationem sui officij eis debet reddere.

5 Cum Superior cuiuspiam rei admonitus, illi remedium non adhibuerit, admonitoris erit cum debita submissione iterum, & sepius eum commonefacere: quod si emendationem non sperat, facta prius oratione, id Superiori significet.

6 Admonitoris erit ordinarias epistolas consultorum suis temporibus colligere, atq; ad mediatos Superiores mittere, nisi eas illi alia via mittere uoluerit, simulq; referet eisdem utrum illiscripserint, in non.

7 Caveat, ne occasione sui officij debitam subordinationem, & obseruantiam subditorum erga suos Superiores aliqua ex parte imminuat, aut debilitet.

FORMVLA SCRIBENDI auctoritate tertiae congrega- tionis confecta.

Decre. 53.
t. r. e. org.

MAgnopere iuuerit ad animorum unionem in Societate, literarum ultrro citroq; mis-
sarum inter inferiores & superiores fr-
quens commercium, & trebro alios de alijs certio-

Par. 8. c. 1.
§. 9.

A 4 res

res fieri, & audiare quæ ex varijs locis ad ædificationem, et eorum quæ geruntur cognitionem afferuntur.

P. 8. c. 1. li.
L. & Can.
77. tr. cōg.

2 Superiores domorum, & Restores scribant singulis hebdomadis ad suum Prouinciale in Europa: in Indijs vero, ut suis Prouincialibus visum fuerit commodum & opportunum.

3 Scribant autem ad suum Prouinciale de statu personarum, & rerum omnium, non solum quæ inter nostros, sed etiam quæ per ministeria Societatis erga externos in dominibus suis, vel collegijs sunt, & non tantum de his, quæ recte se habent, sed etiam de his, quæ secundum; & quoad fieri poterit current, ut omnia tanquam præsentia Prouincialis cernat.

P. 6. c. 4. §.
4. & Can.
73. tr. cōg.

4 Primo quoque tempore ad suum Prouinciale scribant Superiores domorum, & Rectores de obitu eorum, qui in suis locis deceidunt: Prouincialis vero reliquos de sua Prouincia admonebit, ut quamprimum solitis suffragijs, & orationibus eorum anime inuentur, & flatim Präpositum Generalem, & vicinos Prouinciales certiores reddat, ut simile officium præstare possint.

P. 8. cap. 1
li. L. &
Can. 77.
a P. 7. c. 2.
§. 2.

5 Missi adfructificandum in agro Dominis scribant ad suum Prouinciale, aut ad eum, quem ille desiguerit singulis hebdomadis, vel quoties ipsi successione congredit prescriptum, ut per crebram literarum communicationem, quantum fieri potest, totum successus suarum missionum illi declarent.

6 Prouinciales Superioribus domorum, & Reitoribus

cloribus ac ijs, qui in missionibus uersantur; & pri- P. 8. cap. 1.
uatis personis, quibus opus erit, semel singulis men- lit. L. &
bus scribant. Can. 77.
tr. cong.

7 Provinciales omnium Prouinciarum Europæ Ibidem
scribant ad Generalem semel quolibet mense: b Recto
res autem, & Superiores, domorum, & Magistrino b Eodem
uitiorum tertio quoque mense. Can.
Can. 77.
tr. cong.

8 Provinciales Indiarum scribant Præposito Ge-
nerali, quando se obtulerit nauigationis commoditas:
Rectores vero & Superiores domorum ex Indijs se-
mel, ex Brasilia, & noua Hispania bis in anno, si
se obtulerit occasio.

9 Prædicti omnes extraordinarie utrinque scri-
bant, quoties necessitas vrgebit.

10 Superiores domorum, & collegiorum, & Magi- T. 8. cap. 1.
stri nouitorum scribant ad Generalem, quæ alicuius lit. L. &
momenti fuerint, etiam si approbante Prouinciali Can. 77.
fiant. Illa vero potissimum scribant, in quib. Prouin- tr. congre-
cialis admonitus, uel non prouidet, vel prouidere ne-
quit vel postquam Prouincialis cum illi distractauerit,
ipſi ab eius iudicio dissentient: sed tunc quidem ad-
dant, quid Prouincialis responderit, & quibus ra-
tionibus ipſi ab eo dissentiant, interim tamen ei per
omnia obedient.

11 Cum Prouinciales scribeant Generali, cura-
bunt, ut flatum domorum, & collegiorum suorum, ac
totius Prouinciae bene explicent, & suppleant, si
quid intellexerint, quod Superiores domorum, &
collegio-

collegiorum minus declarauerint, & in uniuersum ita scribere debent, ut Generalis omnium rerum, omniumque personarum, ac Prouinciarum statum, quoad eius fieri possit, ante oculos habeat.

12 Si quis nostrorum aliquid per literas cum Praeposito Generali, aut cum suo aliquo alio mediato superiore tractare velit, ne impediatur, nec ipsorum literæ ad eos scriptæ aperiantur, neque mediatorum superiorum ad ipsos.

13 Literæ nostrorum, quæ negotia continent, solum ad Praepositum Generalem, & non ad alios, qui cum ipso agant, destinentur, poterit tamen ad eos scribi, ut illa tractari, & expediri curent.

14 Literæ negotiorum, ad quorum expeditionem Procuratoris generalis opera, aut informatione opus erit, proprijs literis ad Praepositum Generalem scribantur adiecta exterius litera P sub inscriptione earum.

15 Negotia maioris momenti, ex utraque India, et Brasilia ternis exemplis scribantur, binis autem ex reliquis prouincijs, si sit periculum ne literæ intercidant, vel certe in proximis literis earum summa repetatur, & ut inueniantur, cum opus fuerit, quæ scripta sunt ad Generalem, exemplum eiusmodi literarum, vel earum summam in libro aliquo, qui scribunt, apud se retineant.

16 Si quid secreti scribendum, vel soli superiori committendum sit, seorsum in propria epistola scribatur,

batur, quæ cum alijs in eodem fasciculo colligata includatur, adiecto exterius (soli) sub inscriptione eiusdem epistolæ: quod si eiusmodi epistola sola mitte retur, alia charta inuoluatur, quæ absque, soli, inscriptionem habeat.

17 In rebus, quæ secretum requirunt, explicandis, his vocabulis utendum erit, ut ea intelliginisi a Superiori non possint, modum autem præscribet Generalis.

18 Nullus inferior, nisi morbo impeditus, literas ad Superiorem ex sua commissione scribi faciat.

19 Consultores Rectorum & Superiorum locum literas obsignatas ad Provincialem dabunt bis in anno mense Ianuario, & Iulio, & ad Generalem singulis annis mense Ianuario: Consultores uero Provincialium ad Generalem mense Ianuario & Iulio, nisi res aliqua ita urgeret, ut de illa, etiam extra hæc tempora, scribendum iudicarent.

20 Iis literis sincere, & sine amplificatione, omni- que priuato, aut humano respectu semoto, significabunt, quid sibi de Superioribus, quorum sunt Consultores, & de eorum administratione, ac rerum statu scribendum in Domino videatur, oratione tamen premissa, & re prius diligenter considerata.

21 Ut Rector vniuersitatis de omnibus præcep- P. 4. cap. ptoribus, & alijs de Societate, ita etiam Cancella- 17. S. 17. riis, & Consiliarij vniuersitatis de ipso, ac alijs scribent

scribent semel singulis annis mense Ianuario Præpo
suo Generali, & bis in anno mense Ianuario & In
lio Prouinciali.

P. 4. cap. 22 Huiusmodi literæ Consulitorum, & horum
17. lit. L. Officialium vniuersitatis mittantur obsignatæ, nec
quisquam eorum sciat, quid alius scripsit.

23 Quius Præpositus, & Rector habeat librum,
in quo scribantur visitationes domus, uel collegij
à Generali approbatæ, in quo etiam scribantur or
dinationes alie alicuius momenti, que à Generali
mittuntur: & quæ perpetuae fuerint, ab ijs quæ tem
porarie sunt, separatim notentur, alia vero quæ Vi
sitor, & Prouincialis præscripserint, in alio libro
scribantur.

24 Si quid scribendum esset de rebus, quæ ex
ternorum aliquem attingerent, ita scribatur, ut
etiam silleræ in eius manus inciderint, offendit non
possit.

De literis annuis.

25 **S**uperiores domorum, atq; Rectores curent ea
observari, quæ in dies in eorum domibus, col
legijsque per nostros Dominus operari dignatur, quæ
que ad nostrorum consolationem, ac proximorum
ædificationem pertinent, ex quibus feliciter optima
quæque, atque in ordinem redacta sub finem cuiusq;
anni ad suum Prouinciale mittat.

Pro-

26 Provinciales ex omnibus Superiorum loca-
lium, atque Rektorum sua Provinciae, & eorum, qui
in missionibus versantur epistolis, reiectis, vel additis
ijs, quæ videbūtur, singulis mense Ianuario una
literas annuas conficiant, quas manu ipsorum sub-
scriptas ad Generalem destinent.

27 In his literis tot erunt capita, quot sunt in Pro-
vincia domus, collegia, & missiones: recensebunt nu-
merum nostrorum Sacerdotum, Praeceptorum, Scho-
lasticorum, & Coadiutorum temporalium, item ad-
missorum eo anno in Societatem, & eorum in Domi-
no profectum explicabunt, & an aliquis è vita de-
cesserit.

28 Agent de ministerijs Societatis erga proxi- P. 8. cap. I.
mum, ut de concionibus, lectiōnibus sacris, doctri- lit. M.
na Christiana, exercitijs spiritualibus, visitatione
carcerum, & hospitalium, reconciliatione dissiden-
tium, de pœnitentium frequentia, & de alijs nostre
instituti pijs operibus, Item de scholis, & discipulo-
rum numero, & profectu, & de literarijs exerci-
tijs, de bona societatis existimatione: de contradic-
tionibus autem, & persecutionibus, si quæ fuerint,
ea solum attingant, quæ edificationi fore videbū-
tur, & tandem de piorum erga nostros caritate, &
munificentia.

29 Hæc, & similia ita narrentur, ut veritas, mo-
destia, humilitas, & caritas in ipsa narratione elu-
cent, & ut in ea ipsa domo aut Civitate, ubi
eiusmodi

eiusmodi literæ scribuntur, ac *vbi*que, publice legi,
citra cuiusquam offensionem possint.

30 Conscribantur tot exemplaria, quot sunt in
vniuersa Societate Prouinciae (ad quas securiore
via quamprimum transmittenda sunt) & quidem
latine omnia, exceptis ijs, que mittenda sunt in eas
prouincias, quibus eadem lingua communis est. &
ut Coadiutores nostri temporales ex latinis etiam li-
teris fructum aliquem percipient, sit aliquis, qui illarum
summam, aut interpretationem aliquo modo
eis explicet.

31 Ha literæ annua in singulis domibus & col-
legijs cuiuscunque Prouinciae, etiam eius, vbi fue-
rint scriptæ elegantur, neque ultra hebdomadam re-
tineri debent, ut ad reliqua collegia citius deferan-
tur: postquam vero *vbi*que perlectæ fuerint, in præ-
cipua domo, vel collegio eiusdem Prouinciae om-
nes afferuentur.

De Catalogis & informationi- bus annuis.

P.8.cap.1: 32 **A**d clariorem omnium nostrorum cognitio-
lit. N. &
P.9.cap.6. nem, Superiores domorum, & Rectores
S. 3. & collegiorum duos catalogos conficiant ante id tem-
Can. 77. poris, quo Procuratores Prouinciarum ad Gene-
r. cong. ralem veniunt, ita exacte, ac si nunquam missi
fuerint, in primo describantur omnes, qui in suis
domibus,

REGVLAE AD MONITORIS. 15
domibus, vel collegijs, ac missionibus sunt, in quo
contineatur vniuersiusque nomen, cognomen, pa-
tria, etas, vires, tempus societatis, studiorum, &
ministeriorum, quæ exercuit, & gradus in literis, si
quos habet, & an Professus, vel Coadiutor sit. &c.
& a quo tempore.

33 In secundo catalogo dotes, & qualitates uni-
uersiusque describantur, videlicet, ingenium, iudi-
cium, prudentia, experientia rerum, profectus in li-
teris, naturalis complexio, & ad quæ societatis mi-
nisteria talentum habeat: quæ omnia diligenter re-
Deo prius commendata, & mature considerata, &
omni priuato affectu semoto, sincere, & breuiter
perstringenda erunt, & utrumque catalogum ad
suum Prouincialemittant.

34 Sub finem cuiusque anni interiecti tertium
etiam alium breuem catalogum ad Prouinciale
mittant continentem nomina, & ministeria, in qui-
bus unusquisque nostrorum occupatur: mittant etiam
supplementum primi, & secundi catalogi, in quo ea
tantum adnotabunt, quæ eo anno de nouo occurre-
rint addenda, ut qui in Societatem interim fuerint
admissi, vel ab ea desuerint, vel quod mortui sint,
vel alia quavis causa.

35 Hunc tertium catalogum, & supplementum
primi, & secundi catalogi totius prouinciae cum
annuis literis ad Generalem mittet Prouincialis
mense Ianuario: primum vero, & secundum per
Procu-

RECOLLECTIONES
Procuratorem prouincie ad eundem sigillo suo
obsignatos perferendos curabit: Quod
si quid ipsi in his catalogis, & in-
formationibus notandum
addendumue vide-

retur, id seor-

sum ad

Gene-


ra-

lem scribat.



**REGVLAE
M A G I S T R I
NOVITIORVM,**

& ordo domus probationis, una cum re-
gulis examinatorum, & Præfe-
cteriorum spiritualium.



VENETIIS, M D LXXX.

Cum facultate superiorum.

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani
www.fondolibrarioantico.it



Cinquecentina

n. 391
18

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani
www.fondolibrarioantico.it

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani
www.fondolibrarioantico.it



o librario antico dei Gesuiti it
www.fondolibrarioantico.it